

§. XII.

Ratione Metaphysicæ & Logicæ.

Hæc nos summam, vt videtis, & ὁδὸν πάρεργον percurrimus, quod in iis ad propositam quæstionem parum situm putemus: cum ii ipsi, qui Philosophiam esse ex vsu Theologiæ maxime contendunt, ea suæ opinioni fundamenta præstruant, quæ etiam firmissima esse daremus, si in-
tra Dialecticæ & Metaphysicæ terminos consistere-
rent; vt, quod ab iis de Philosophia vniuersim
posita fuerit quæstio, in eo consuetudini potius,
quam animi sententiæ morem gessisse videantur:
nobis itaque redintegranda est pugna, & pro eo,
quod hucusque rudibus tantum batuimus, serio
nunc instaurandum est prælium.

Atque hic primum, antequam ad alia progre-
diatur oratio, non abs re fuerit memoriam ve-
stram de eo renouare, quod statim initio a nobis
constitutum est, Logicam & Metaphysicam Theo-
logo vtilis videri: tantumne? imino & neces-
sarias, vsque eo, vt, qui iis destitutus se ad Theo-
logiam adiungat, non minus inepte faciat, ac si
quis olim ἀγεωμέτερος scholam ingressus fuisset
Platonis.

Quam vero Logicam; quamque Metaphysi-
cam hic a me commendari existimatis? Carte-
sianamne, quam Renati Cartesii cultores tanto-
pere celebrant? an Canonicam illam potius,
quam ex senis Gargettii hortis collectam Petrus
Gassen-